

parte (Cap. XVI extr. — Cap. XIX, p. 14 B — 15 C) denuo pietatem in eo positam esse definit, ut quis sacrificando et precando diis gratum faciat, impietatem, ut ingratum faciat. Hac definitione proposita simul docet pietate civitates et domos conservari, impietate labefactari et everti. Haec autem addentem quod Plato Euthyphronem facit, dubitari nequit, quin duo indicare velit, unum, Euthyphronem semper rei naturam fugere et ea describere, quae inde consequi necesse sit, alterum, vulgarem hanc esse de pietate opinionem, quasi vero non hoc primum ac summum sit pietatis propositum, ut illa duce singuli homines animorum consequantur salutem, sed illud, ut domus et civitates conserventur, quod per se consequatur, dummodo vera pietas regnet. Quapropter Socrates maximopere se dolere dicit, quod Euthyphro, eo ipso tempore, quo haud procul afuerit, quin ipsam pietatis naturam definiendo assequeretur, rursus de recta via declinaverit; tum vero demonstrans, si pietas ea esset, quam definisset, eam artem futuram esse dandi et precandi, eum concedere etiam hoc cogit, artem futuram esse quandam negotiandi atque eam quidem, ex qua homines tanto majora et plura commoda perciperent, quanto pauperiores essent. Nullum enim esse his in terris bonum, quod homines non acceperint a diis. Itaque futurum esse, ut homines perciperent utilitates omnes, dii nullas. Ne tamen dii omnibus destituantur commodis, Euthyphro honorem, praemia, gratiam enumerat, quae ab hominibus accipiant. Unde fit, ut pium rursus sit id, quo quis diis gratum faciat. Facillime igitur Socrates hanc ipsam esse definitionem ostendit, quam jam refutaverit; quae cum ita sint, non esse, cur miretur, si oratio non suo loco manere, sed moveri atque etiam circumferri et in gyrum duci videatur. Maxime autem hac in parte eam pietatis definitionem irrideri, ex qua ars sit quaedam mercaturae faciendae inter homines et deos instituta, quis non videt? Quam humilis haec est de pietate opinio, quam illiberalis, quam plebeja! — Totius disputationis finem facit epilogus (Cap. XX, p. 15 D — 16 A) consueto more additus, in quo Socrates primum Euthyphronem hortatur, ut ad pietatem definiendam rursus animi contentionem adhibeat et tandem aliquando veritatem proferat. Nam dubitari non debere, quin possit; etenim si non posset, non patrem fuisse accusaturum. Qua in causa periculum esse, ne jura et divina et humana violentur. Quum vero ille hanc rem in aliud tempus rejiciat, propterea quod nunc tempus urgeat abeundi, magna Socrates respondet se spe esse dejectum duplici, una, quod speraverit futurum esse, ut Meleti accusatione liberaretur, si demonstrare potuerit, se Euthyphronis discipulum factum hujus peritiam rerum divinarum imbibisse, altera, quod spem habuerit se totam reliquam vitam melius victurum; quibus verbis ultimis mihi quidem hoc dicere videtur, vera pietatis cognitione homines etiam ad recte vivendi rationem duci.

Argumento exposito facile erit demonstrare, quas falsas de pietate opiniones Plato Socratem refutantem fecerit. Si autem omnia animo complector, quae hoc dialogo tractantur vel certe indicantur, quatuor video genera pietatis falsae, primum, quod in sanctis officiis violandis versetur, alterum, quod in singulis quibusdam actionibus rebusque externis cernatur, tertium, quod utilitatis percipiendae causa colatur, quartum, quod omnino falsis de diis opinionibus nitatur.

Ac primo quidem eam explodit pietatem, quae ne a sanctis quidem officiis violandis abstineat. Nam in verbis leporis plenissimis, quibus Socrates utitur, quae non videantur nisi illudere atque irridere, tamen sensus inest gravissimus ac severissimus. Exempla ejus pietatis vel potius impietatis ipsum proponit Euthyphronem et Meletum. Euthyphro, vates Atheniensis, qui rerum divinarum peritissimus sibi videbatur, patrem, quem omni pietate, omni caritate colere ac diligere debebat, in jus vocat, ut caedis condemnatur, quod mercenarium quendam, qui unum ex servis occiderat, vinctum fame et frigore perire passus sit, priusquam nuntius ad sacrorum interpretem missus rediisset; quod quum facit, non intelligit se sanctissima officia violare, quae a filiis praestanda sint parentibus. Homicidium, inquit, pater commisit. Jam vero qui una